Sum̄o precio à civibus meis haberer, laudibusq; propè
divinis mactarer? nonne & hodiernum fit earundem bene-
ficio, ut nomen meum in eruditorum ore circumferatur?
Fiebat præterea ob summam eruditionem meam, ut vulga-
rium numero exemptus ad dignitatum publicarum fasti-
gia eveherer. Nec enim in latebris domesticis delitesce-
bam omnibus ignotus; sed in publicum egressus multis
honoribus defungebar. Nempè quum ab ineunte ætate
animum ad gerendam Rempublicam applicuissem, jam
jam adultus, ad gubernaculum ejus admotus, Ordini pri-
mum Senatorio annumerari coepi. Et quanquam me
invidiæ magis auspiciis, quam ullius culpæ meritis Appius
Claudius Pulcher & L. Calpurnius Piso Censores ex
Senatorum numero delevissent; posteà tamen beneficio
J. Cæsaris Senatoris dignitatem recepi, simulq; Quæsturam
accepi. Quum itaq; officia hæc laudabiliter administras-
sem, majores adeptus fui honores, quippè qui Tribunus
primum plebis creabar; deinde Fusio Caleno & P. Vati-
nio CoS. Prætor ulterioris Africæ designabar, mox autem
Pro-Consul in Regno Jubæ, in provinciam redacto, auspi-
ciis Cæsaris evadebam. In his me honoribus atq; officiis
talem præstiti virum, ut omnia, quæ juvenilibus annis
per libidinem atq; flagitia prodegeram, ad frugem grave-
scente ætate rediens, non tantum recuperarem; sed &
magis magisq; id augerem. Ultrà modum namq; dives
ex Prætura Africana Redditus, cum in urbem rediissem
pretiosissimos hortos Tiburtinamq; villam ab ipso Julio
emi. Fiebant istis temporibus omnia nutu Julii, nec
leges majorum in Rep. administranda servabantur.
Externo atq; barbaro cuiq;, si Cæsari luberet, in Sena-
tum aditus patebat: nec rogatus sententiam Consu-
laris; sed Gallus aut ignobilis quisq; ac sordidus di-